

HISTORIA

Animalium Sacra

IN QUA PLERORUMQUE ANIMALIUM PRÆCIPUÆ PROPRIETATES IN GRATIAM STUDIOSORUM THEOLOGIÆ

& Ministrorum Verbi ad usum *εικονολογικόν*
breviter accommodantur.

In Academia VVittebergensi ante annos aliquot dictata

WOLFGANGO FRANZIO
SS. Theol. Doct.

I 6



I 3.

Cum Privi-
nissimi Ele-
xoniz spe-

legio Sere-
toris Sa-
ciali.

VVITEBERGÆ

Sumtibus ZACHARIÆ SCHURER
& JOHANNIS GORMANN

Sum M. Leon!

Digitized by Google

celent. Magna enim virtus est reperire bonum consilium, deliberata citò persequi, quia in nulla re prodest mora, nisi in ira, denique silentio premere arcana cordis sui.

CAPUT IX.

De Monocerote & Rhinocerote.

INitiò duo sunt expedienda, 1. utrum in rerum natura sit Unicornis. 2. Utrum Monoceros & Rhinoceros sint unum & idem. Quod ad primum attinet, doctiss. aliqui viri negarunt esse in rerum natura unicornem, quem putarunt asinum Indicum esse, sicut tales quosdam asinos Indicos & uno cornu praeditos reperiri testantur probati autores. Verum cum S. scriptura eruditas imagines passim ex natura Monocerotis sumptas usurpet, & tum ad pios tum ad impios, tum ad ipsum Christum accommodet cum singulari doctrina & consolatione, necesse est in rerum natura esse unicornem. Huc accedit, quod gravissimus author Julius Cæsar Scaliger in suis exercitationibus contra Cardanum citat testimonium amici sui cujusdam, qui vidit unicornem.

Ad

Ad secundum quod attinet, apud Hebræos est vocabulum Rheem **רְהֵם** quod significat Unicornem & simul Rhinocerotem, sicut & alterum Rum **רִמ** utrumque simul denotat. Hinc factum est, quod multi Monocerotem & Rhinocerotem prout & eodem animali acceperunt. Verum Julius Cæsar Scaliger in exercitationibus suis proprio suo tum amici sui fide digni testimonio confirmat, aliud esse Monocerotem, aliud Rhinocerotem; Et quidem Monocerotem habere unum cornu in media fronte, sed Rhinocerotem habere geminum cornu, unum in fronte pusillum, alterum in nare robustissimum, a quo secundo etiam nomen suum accepit. Cum vero in lingua sancta idem animal unum habet nomen, libuit uno capite explicare utrumque, & utriusque proprietates conjunctim applicare illis rebus ab ipsa scriptura applicatas. *Monoceros seu unicornis* est animal magnitudine equi, & quidem reliquo corpore valde simile equo, habens barbâ hircinâ, caput cervi, cervicem jubatâ, pedes Elephantî, caudâ siccâ, unum cornu nigrum media fronte duorum cubitorum, magnitudine: sed *Rhinoceros* etiam est grande animal & ferme tantâ, quâ longum, sed breviora crura habens & duo cornua, ut dictum, inprimis in nare. Propter magnitudinem

dinem

dinem vel altitudinem utrūq; habet idem nomen ab Hebræico themate *Kaam*, quod significat altus fuit, sublimis fuit, exaltatus est, elevatus est, &c. Potrò Rhinocerotis cornu admodum est durum & ab ipso vehementer acubon, & solimatur ad saxa, quoties sese præparat ad certamen. Naturale enim est odium inter Elephantum & Rhinocerotem, ita ut invicem certent, & quidem in ipsa pugna Rhinoceros unice dat operam, ut ad vum Elephantis tanquam partem molliorem perat, sicut etiam tandem vincit Elephantum, contra quem suo cornu, quod in nari habet, audacissime pugnat. Tergum etiam habet scutularum, & quasi variis clypeis munitum, unde etiam æstimari potest fortitudo hujus bestiar. Hæc bellus (Philippus Cam. ex Jovio in cap. 25. lib. 1. succis inquit de Rhinocero) paulo humilior est elephanto, si altitudinem spectes, sed longitudine prope par, nostratis bubali formam referens. nam ungulas habet bisulcas, verum tergo buxei coloris, eoque ab impenetrabili dubitie duplicato, tanquam perpetuo thraçe protegatur, armaturque pedali ossis cornu supra nates eminente, quo ferire sub utero atque transforare elephantem, peculiarem hostem suum solet, si tamen injecta ad collum & occisimè strangulantis proboscidis vim effugiat.

Nam

Nam in congressu perpetuæ similitudinis aut partæ victoriæ aut certe decora morte satisfacit. Hæc mera *avventura* istarum belluarum apparuit, quum Emmanuel Rex Portugalliæ Rhinocerotem Romam mittere constituisset, qui tamen in naufragio, cum esset compeditus & ad miraculum usq; natando evadere conatus fuisset, in Ligusticis scopulis periit. Ferunt hunc Rhinocerotem (pergit ibidem Jovius) quum ab Oceano Ulixponensi in portu exponeretur, aspectu atque odore suo elephantum, qui tum erat in regia, usque adeo truculenter terruisse, ut elephas ipso naturæ miraculo præcipuus hostis, concepto incredibili pavore septum cornu, ferreis ingentibus clathris permunitum, humerorum & capitis præcipiti impulsu perripuit, & in longam proripiens fugam, terribiliq; barritu edido stridens & furens cuncta obvia prostraverit.

Ad *Monocerotem* quod spectat, habet & ipse cornu bicubitale, intus candidum & splendidum, sed foris nigrum propter corticem, quo tegitur. Hoc autem cornu non est cavum aut leve instar aliorum cornuum, nec planum & æquabile, sed vel ferreâ lima asperius, in multas spiras revolutum & in mucrone quovis telo acutius, ita ut quicquid perat, facile suo ictu perterebret. Deinde

utcuq;

utcūque saxum hoc sit animal, tamen sexum
 foemineum veneratur, & ad foeminas accedit,
 & juxta eas in somnum resolvitur, & ita dela-
 psum saepe capitur, & ligatur, donec tandem
 cornū ejus resecetur. Juvenem igitur robu-
 stum vestibis virginis induunt, & aromatibus
 conspergunt & constituunt in vicino aliquo
 loco, unde odor cum aëre perveniat in nares
 bestiae. Interiergo dum ipsi venatores oc-
 cultantur, accedit bestia ad juvenem, qui odo-
 ratis & amplis manicis oculos ipsius tegit, ut
 venatoribus liceat accurrere. 3. Robore
 corporis. Monoceros est propemodum inex-
 pugnabilis, & maximè valet pedum celerita-
 te, & tanta in eo est ferocia, ut desertissimas re-
 giones, & montes altissimos incolat, & sicut
 Job cap. 39. vers. 12. monet, nullis vel vinculis
 vel beneficijs aut arte cicurari possit, cum ta-
 men Leones, & Tigres, & Pardi cicurentur. 4.
 Cornu Monocerotis eximiam ac singularem
 habet vim, & facultatem resistendi venenis.
 Iamò aqua etiamsi veneno quodam corrup-
 ta, si hoc cornu attingatur, salutaris dicitur
 fieri. Et olim divites & principes ex hoc cor-
 nu pocula conficere, aut certè partem aliquam
 poculis inferere solebant, & nunc quoque ple-
 rique medici.

Hactenus recitata est praecipua summa de-

H

scriptio

scriptionis, quæ de Monocerote & Rhinocerote traditur : nunc imagines breviter sunt addenda.

Et primò quidem Nazianzenus oratione 13. habita post reditum, *Monoceroti* comparat *Philosophum*. Quemadmodum enim *Monoceros* amat solitudines : ita quoque studijs literum tractandis consecrati umcè exoptant gratos secessus. Et quemadmodum *Monoceros* altissimos montes amat, ita quoque *Philosophi* debent dispicere res terrenas. Et sicut *Monoceros* gaudet libertate, neque potest doc. sub præsepe : ita quoque *Philosophus* nō debet esse servum pecus, habitare in alterius cerebro, & aliorum gratiam recipere & mutare sententias.

2. Nemini ignota est imago illa, quæ in Psalmo 22. extat, ubi Christus hostibus sævissimis undique cinctus flebiles querelas instituant de ipsorum ferocia, eosque leonibus & unicornibus comparat. Sic etiam inquit. *Salva me Domine ex ore Leonis, & à cornibus unicornum humilitatem meam.* Hac imagine principaliter ob oculos proponitur ferocia & crudelitas, illorum, qui crucifixerunt Christū. Verū aptissimè potest accommodari ad omnes hostes Evangelij, qui cōfisi suæ potentia & robore, crudelissimè persequuntur Ecclesiam. Sicut igitur unicornis est animal sævissimum : ita hostes Christi sunt ferocissimi. Et sicut hoc a-

nima

nimal est robustissimum: Ita quoque hostium potentia longè superat potentiam Ecclesiæ. Et sicut Monoceros non patitur sese facile vivum capi, neque etiam potest mansuescere, sicut ex capite 39. Jobi constat: ita hostes nullis neque divinis neque humanis beneficijs placari & mitigari atque converti volunt. Et sicut Monoceros in solitudinibus degit, & fugit commercia reliquorum animalium: Ita quoque hostes ad Ecclesiæ societatem sese adduci non patiuntur, sed summo odio Dei & Ecclesiæ grassantur adversus Christum & adversus membra Christi,

3. In alijs locis Ecclesia & poliria Judaica comparatur cum unicornibus. Nam Num. 23. versu 22. sic dicitur: DEUS eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinocerotis. Et hæc ipsa verba repetuntur Num. 24. vers. 8. Item Deut. 33. vers. 17. familia Joseph comparatur cum cornibus Rhinocerotis. Et Psalmo 75. vers. 69 item 92. petit & optat exaltari suum regnum, sicut cornu unicornium. In genere tamen potest hæc esse imago Ecclesiæ piorum & regnorum sanctorum, quæ unquam fuerunt, aut futura sunt. Absque dubio autem cornu significat potentiam & fortitudinem, item defensionem & præcipuum decus, item veram Dei agnitio-

nem fidem, invocationem, præsentiam & auxilium Dei. Quemadmodum igitur unicornis insigne habet cornu, quo se potest defendere adversus omnes insidias & injurias: Itaque Ecclesiæ salus & decus consistit in agnitione Dei, invocatione, præsentia filij DEI. Et quemadmodum cornu unicornis resistit venenis: Ita quoque agnitio & invocatio Dei resistit omnibus vitijs. Sicut autem unicornem venatores imprimis propter cornu insectantur: Ita certum est, Ecclesiam in hac vita pati afflictiones, odia & mortem propter cornu suum, hoc est, propter veram agnitionem & invocationem Dei. Verum sicut unicornis non patitur se facile capi vivum, neque eripi sibi suum cornu: ita Ecclesia summam debet adhibere constantiam inter ipsa pericula & certamina, ne amittat suum cornu, hoc est, agnitionem & invocationem veram. Hæc capita collationum uberius poterunt tractari & addi potest narratio, quæ extat in quadam Oratione, lib. 3. declamat. Philippi, ubi dicit, se vidisse picturam Ecclesiæ sub Imagine unicornis stantis, ubi tantum dimidio appareret; mox vero toto corpore conspiceretur, circa quem fuerint variae bestiarum formæ, Pardi, Elephanti, obstrepentes unicorni, qui tamen intrepidus & rectus constitit inter reliquas sævissimas

bestia-

bestias. Additur igitur ibi, sic Ecclesiam interdum esse illustriorem, interdum obscuriorem, & semper habere hostes in hoc mundo, quos tamen omnes vincit.

Obiter & hoc notetur, regna terrarum appellari in genere cornua. Sicut enim cornu non est aliqua utilis pars corporis, sed pro defensione corporis data: Ita nisi regna defendant corpus Ecclesiæ, nihil aliud sunt nisi excrementicia cornua. 4. Etiam ipse Christus vel regnum ejus jucundissime comparatur cum cornu unicornis. Licet enim expresse non habeatur in textu Biblico; quia tamen Bileam in Numeris benedicturus Israeli similitudinem capit ab unicorni, & Israel egrediens in Ægypto fuit imago Christi exulantis in Ægypto, indeque revocati, non ineptè collationes instituere possumus. Quemadmodum igitur unicornis est animal fortitudinis inexpugnabilis, & in capite cornu habet firmissimum: Ita quoque regnum CHRISTI est invictum etiam contra portas inferorum. Et sicut unicornis suo cornu reliqua animalia exossat & prostermit: Ita hoc cornu CHRISTI comminuit omnia alia cornua Diaboli, tyrannorum & hæreticorum. Sicut etiam cornu unicornis est prestantissimum remedium contra omnis generis venena: Ita quoque regnum CHRISTI est cornu salutis, ut Zach. omni-

nat, in quo peccatum destruitur, mors aboletur, & vita ac iustitia credentibus restituitur. Præterea sicut unicornis sexui scæmineo tanquam imbecilli parcat, ita Christus contritos corde amat & iuvat. Sicut autem unicornis tum venatores, tum bestias, sibi insidiantes acerrimè persequitur: Ita quoque Christus suo cornu, quod per est jucundissimum, & tantum accommodatum ad salutem, hostes suos, qui se se Evangelio opponunt, ita acerrimè persequitur, ut in omni æternitate nihil experiantur nisi implacabilem ejus vindictam & inenarrabiles cruciatus, & hac ratione cogantur fateri, non vanas fuisse comminationes, osculamini filium, ne succenseat, &c. Coronidis loco etiam illud observetur, quod Erasmus Roterodamus in libro de similibus unum simile proponit à Rhinocerote sumtum: Rhinoceros cornu gerit in naribus: ita quorundam sales dentari sunt & aculeari. Sed de illis satis.



CAPUT XII.

De Equo.

A Nimal hoc Americani antea non viderant, ideoque putabant ante centum annos, hominem infidentem, & equum, esse unum